




104



104

THESE'S PHYSICÆ  
DE  
ANIMÆ DEFINITIONE,  
ET EIVS FACVLTATIBVS  
IN GENERE,

Quas

Deo duce,

Prefide


Doctissimo, Clarissimoque Viro,

D.M. ANTONIO TRUTIO, Philosophiae  
in Academiâ Lugduno-Batavâ Pro-  
fessore dignissimo,

eueri conabitur

JACOBVS ZVERIUS Elbinganus

A.D. xv. Junii.



LUGDVNI BATAVORVM,  
Ex Officina Ioannis Patii. Anno L. cl. ccc.

*Prudentissimis, Amplissimis, Consultissi-  
misque Viris D.D.*

P R A E T O R I , C O N S V L I B V S ,  
E T S E N A T O R I B V S R E I P .  
Bergopzomanæ,

N E C N O N

*Ejusdem Republicæ Doctrinâ, Prudentiâ,  
et Pietate conspicuo,*

SENATVI ECCLESIASTICO,  
Dominis meis omni observantia mihi  
colendis,

H A S C E T H E S E S ,

*L. M. Q. D. D. D.*

I A C O B V S Z V E R I V S Elbinganus  
*Respondens.*

# De Animæ definitione, & ejus potentiis in genere.

De origine Animæ superiori disputatione actum est, sequitur, ut,  
quid ipsa sit, paucis discipiamus.

## THE S I S I.

**A**NIMA bifariam consideratur: vel ut in corpore animato est, vel ut ab eodem est separata. Priori modo Physicæ considerationis est (cum enim ejusdem scientiæ sit considerare formam & materiam: Physica verò consideret corporis animati, puta plantæ, animalis, materiam; necessario sequitur ad eam etiam pertinere considerationem formæ) Posteriori modo pertinet ad Philosophum primum.

## II.

Rursus quatenus in corpore est, duplicum habet considerationem. Consideratur enim vel ut principium est constitutivum corporis animati: vel ut principium effectivum est operationum viventis. Vnde & respectu utriusque definitur ab Aristotele definitionib. duabus. Et quidem ut est principium ac forma corporis animati, hoc modo, ψυχὴ ἐστιν ἀντελέχεια <sup>a Ariſt. 2.</sup> οὐκών τάματος. Φυσικὸς οὐρανοῖς λόγην ἔχοντος διωάμφιον. Id est, <sup>b de anim.</sup> <sup>c. 2. text. 6.</sup> Anima est actus primus corporis Physici Organici, vitam habentis potentiam.

## III.

Genus animæ, seu potius quod generis vice fungitur, ponitur ἀντελέχεια, id est, εἶδος, μορφὴ, λόγος, τὸ πᾶν εἶναι, quia talis est perfectio, qua corpus vivens constituitur, & in specie collocatur. Non videtur autem hoc vocabulo, ante Aristote-

Item quisquam hac significatione fuisse usus. Apud Empedoclem certè hoc versu,

Πέτρεω κοιλαίνει πάνις ὕδατος ἐντελεχείη,,

c. i. *Tuscul.* Non videtur aliud significare, quam, quod vertit<sup>c</sup> M. Tullius, continuatam motionem.

#### IV.

*in voce* Εὐτελέχειαν<sup>d</sup> Hesychius & <sup>e</sup> Plutarchus εὐέργησαν appellant.  
*εὐτελίχεια*. <sup>f</sup> Statuitur tamen discrimen inter hęc: εὐτελέχεια .n. respectivū  
cū lib. de Pla-  
citis Philos. est, & respicit id quod perficitur, & tam de formā dicitur, quā  
fā Zarabel. de operatione. εὐέργησα vero est quiddam absolutum, & quod  
lib. de humo mente, c. 7. solum dicatur de operatione, non etiam de forma<sup>g</sup>. Themis-  
g Paraph. <sup>h</sup> stius vocat εὐτελής σωματικήν. Hermolaus Barbarus perfecti-ha-  
de anim. ci-  
sante Bodii-  
no. beam vertit, plerique actum vel formam. Per εὐτελέχειαν au-  
tem in hac definitione intelligitur animae immaterialitas, sim-  
plicitas, informatio, perfectio, potestas. Hoc enim sibi volunt  
istae voces ēν, τίλος, ἔχειν ex quibus ipsum εὐτελέχεια con-  
struitur, quod acutissimus<sup>i</sup> Iulius Scaliger animadvertisit.

*h Exerit.*

*advers.*

*Card. 307.*

*Iz. ϕ 39.*

#### V.

Porro animam esse εὐτελέχειαν ex hac divisione planum  
fret. Si anima est (esse autem i.e. existere aliquid, quod dicatur  
anima, nemo sanus unquam dubitavit) est vel substantia, vel  
accidens. Accidens autem cum esse nequeat: (utpote quæ  
principium est viventis & causa nobilissima, à qua plurimæ  
& præstantissimæ operationes proveniunt,) relinquitur eam  
i Arist. 2. de esse substantiam<sup>j</sup>. Si est substantia, est vel materia, vel forma,  
anim. cap. 1. vel compositum. Materiam dico esse id, quod secundum se  
text. 3. non est hoc aliquid, sed habet potestatē ad esse. Formam, quæ  
facit hoc aliquid, & rem in specie collocat. Compositum  
vero, quod ex materiā & formā conformatum est. Iam vero Ani-  
mam non esse materiam, ex dupli subjecto discrimine ma-  
nifestum est. Primò quod materia per se non est hoc aliquid,  
neq; per ipsam est hoc aliquid, sed per formam: Anima enim  
est, quæ

est, quæ facit hoc aliquid .i. quæ facit rem consistere, & esse id, quod est. Secundò quia materia est ens in potentia, anima vero est ens in actu. Multo etiam minus cōpositum; cum hoc non sit in alio, ut in subiecto; Anima verò sit in alio, ut in subiecto. Restat ergo ut animā esse statuamus formam sive actum.

### V I.

\* Actus autem cum sit duplex, Primus & Secundus : Primus est, qui informando materiam, substantiam constituit: Secundus est operatio formæ: Ille proportione respondet scientiæ, & talis actus est anima: hic contemplationi; quæ ut fluit à scientiâ, sic vita ab anima.

### V II.

Additur in definitione (corporis) duas præcipue ob caussas. Primò quia cum anima nullā habeat hypostasin, utpote forma Physica, quæ sola sine corpore non subsistit, sed semper aliquod corpus informat, sine relatione ad corpus considerari physice non potest. Secundò ad differentiam substantiarum incorporearum, quia illæ etiam sunt ἐντελέχεια, sed perfectæ, & per se, sine ulla concretione & adjunctione corporum.

### V III.

Subjungitur animam actum esse corporis Physici. Cum enim corpus aliud sit Mathematicum, aliud Artificiale, aliud Physicum. Mathematici autem corporis anima actus esse nequeat, quia illud est quantitas: neque artificiosi quia illud, quatenus tale, qualitatis est particeps: Restat ut corporis naturalis eam actum esse statuamus.

### I X.

Naturale autem corpus<sup>1</sup> aliud cum sit animatum, aliud inanimatum: non cujusvis corporis naturalis; sed animati tantummodo anima actus est. Neq; enim universum cum omnibus suis partibus animatum credimus.

1. Arist. 2. de anim. cap. 1. text. 3.

A 3 Porro

## X.

Porrò reliqua definitionis verba perpendamus, Dicitur anima actus primus corporis Physici organici .i. quod habet organa <sup>m</sup>, quae sunt membra ex partibus dissimilis formæ conflata, ad obcunda propria animæ munia.

## XI.

<sup>n Arist. lib.</sup>  
<sup>z. de anim.</sup>  
<sup>c. 1. text. 6.</sup>

"Organæ autem in quibusdam viventibus sunt imperfectoria, in quibusdam perfectiora. Minus perfecta sunt in stirpibus, quibus nō deesse sua organa accuratius animadventeribus manifestū fit. Radicum fibris è terra succum attrahunt, quemadmodum animalia per os & gulam esculenta & poculenta sumunt. Foliis defenduntur ab ardore solis cortices, corticibus fructus sepiuntur, ut injuriam coeli commodius ferre queant. Simile medullæ quid toto truncō excurrit: duriores ligni fibræ ossi respondent, libro denique & corrice clauduntur totæ plantæ, tanquam cute, ne externus calor succum, quo stirps pascitur, depauperat.

## XII.

Multo autem magis conspicua, & perfectiora longè sunt hæc organa in animalibus. Suntque in iis vel primaria, vel secundaria. Primaria, quæ etiam instrumenta instrumentorum appellantur, sunt quæ reliquis instrumentis vim agendi tribuunt, ut cor, cerebrum. Secundaria sunt, quæ vim recipiunt à primariis, ut nervi, oculi, aures.

## XIII.

Postremò additur in definitione, potestate vitam habentis. Potestas cum referatur ad actum (utpote sine quo considerari non potest) actus autem duplex sit, ut supra thesi 6 demonstravimus, sequitur potestatem etiam dupliciter considerari. Primo, respectu actus primi, & sic semen dicitur potestate esse vivens corpus: secundo, respectu actus secundi: Quomodo dormiēs dicitur potestate videre, & gladius qui actu quidem est, sed

est, sed quamdiu non fecat, potestate dicitur esse gladius. In definitione autem illud (potestate) non est accipiendum significatione primâ, sed secundâ. Quare neque semen, neque cadaver potestate vitam habet.

#### XIV.

Hactenus de animâ, ut principium est constitutivum corporis animati, jam eandem, ut principium est operationum consideremus. Eam ita definivit Aristoteles <sup>a</sup>, ψυχὴ ἐστὶ τὸ ὕψος τῆς ζῶντος. καὶ οὐκούσια πεπάντως. Anima est qua vivimus, sentimus, & intelligimus primo. Definitio hæc est præcedentis definitionis causa, & præcedens hujus conclusio, quod satis appetet, si tota demonstratio extruatur hoc modo. Id quo primo vivimus, sentimus, intelligimus, est actus corporis naturalis potestate vitam habentis: Atqui anima est id, quo vivimus, sentimus, intelligimus primo. Ergo anima est actus corporis naturalis, potestate vitam habentis. Est autem hæc definitio à fine partium, & facultatum animæ desumpta.

<sup>a</sup> Arist. 2. de anim. cap. 2. iuxd. 27.

#### XV.

Porrò ne videatur hæc definitio propria esse animæ humanae, eique primo competere, ac per excellentiam ea h̄ic descripta, ut nonnulli arbitrantur: secundario autem & propter partes omnibus viventibus esse communem: sciendum est particulam (<sup>καὶ</sup>) h̄ic notare disjunctionem, quemadmodum etiam in definitione naturæ.

#### XVI.

Quia vero duplex est id quo vivimus, anima nimirum vel corpus uti duplex est id quo scimus, nempe anima, & scientia: itidemque id quo sani sumus, oculus scilicet, & sanitas: corpore certè non primo, sed animo vivimus, qui corporis quædam est ratio & forma, ut sanitas oculi, & scientia animæ: prudenter in definitione dictum est primo, ne definitio corpori ac materiæ competit.

Animæ

### XVII.


Animę facultates Plato in rationale & irrationalē distribuit; Aristot. hæc-divisio nō suffecit; utpote quę naturarum diversitatem nō satis indicaret. Qua de causa is eam in vegetatēm, sentientem, loco moventem, seu progressivam, & intelligentem discrevit, quibus & appetendi facultates adjunxit. Sed quoniam hæ semper cum sensu vel cum intellectu cōjunguntur: propterea quatuor prioribus, viventium quatuor genera ac veluti gradus distinxit, & hisce constitui voluit: à vegetativa quidem plantas; à sensitiva ζωόφυη stirpanimalia; à motivā, bruta quae se movent; à rationali, hominem. Tres tamen solum definitione expressit Philosophus.

### XVIII.

Observandus est autem ordo quidam inter hasce facultates. Ex iis enim aliae sine aliis esse possunt; ut vegetativā, sine sensitivā; sensitiva sine loco motiva, & hæc sine intellectiva: non autem contra hæ sine illis. Qua de causa fit ut vegetatrix facultas primum viventium gradum constituat, sentiens secundum; loco movens tertium, & intelligens quartum.

### XIX.

Neque tamen plures erunt animæ in eodem corpore animato, sed quemadmodum Trigonos in Tetragono, ita priores facultates in posterioribus continentur. Hoc nisi statuatur concedendæ erunt in eodem subjecto plures formæ substantiales, quod absurdum est, nec ferendum in Philosophia,



FINIS.

